

† R. P. Eduardus Bührel.

(*Prov. Hispan.*).

† R. P. Eduardus Bührel.

(*Prov. Hispan.*).

« Natus in Rosheim Alsatiae inferioris feria IV, die 14 octobris 1843. Nomen patris et matris: Antonius Bührel, natus in Molsheim, 3 aug. 1803,

M. Magdalena Troestler, nata in Rosheim, 25 sept. 1812 ». His verbis P. Bührel originem suam in capite commentariorum, quae de vita sua reliquit, describit. Pulcherrima porro sunt, quae de infantia sua scribit:



« Hilarem serenumque animum in domo mea paterna vix noveramus. Pater meus, cum mature parentibus destitutus esset, aegre tantum rem familiarem condere potuit, sed Dei benedictione non destituebatur. Cum vero labore suo res secundas adeptus esset, ita ut vitam quietam agere posset, morte abreptus est. Mater vidua annorum 38 cum quattuor liberis sola remansit, e quibus filia maxima duodecim, minima duos annos nata

erat. Me, qui septennis eram, mater familiae caput instituisse visa est. Ad mensam patris locum me occupare iussit. Si quam maioris momenti rem aggredi necesse fuit, nihil unquam me inconsulto egit, in omnium curarum difficultatumque partem me vocavit. Oh, quam cito in rebus adversis maturescimus! Mater pistrinam et levem mercaturam, vineas agrosque aliquos habuit, ad quae negotia omnia obeunda servi, mercenarii, adventicii erant adhibendi. Et harum rerum omnium caput me septennem reddidit. Et tamen, cum haec ita essent, mater numquam oblita est,

quae ultimis votis pater exoptaverat. Is enim iuvenis propenso studio ad sacrum ministerium sacerdotale ferebatur. Quod cum ob rei familiaris inopiam consequi non potuisset, id unum exoptabat, ut e filiis suis unum ad altare conspiceret. At ne hoc quidem Deo ita disponente ei contigit, quare moriens uxorem suam ultimis votis rogavit, ut hoc, quod sibi semper cordi fuisset, exsequeretur. Et quamquam (fratre Hippolyto duobus annis ante patrem mortuo) ego unus puer relictus eram, mater tamen magno animo etiam hoc concedere non recusavit. Et cum deinde ingressu in religionem sacrificium etiam maius ei impositurus essem, ipsa mihi confessa est se quotidie compositis in crucis modum brachiis sexies *Pater, Ave* et *Gloria* precibus repetitis Deum rogavisse, ut mihi gratiam vocationis sacerdotalis largiretur. Quo consilio mentem meam ita imbuerat, ut ne amore quidem mei actus desiderii eius resistere conatus essem omnesque constitutum esse existimarent, ut militiae sacerdotali nomen darem ».

Ad haec lingua gallica conscripta P. Böhrel aliquanto post (alio enim id atramento exaratum est) adiunxit: « Reliqua omnia destruxi. Ama nesciri; tu solus miserere mei, Deus! » Postea tamen Romam vocatus, cum archivistae generalis munus obiret, satis amplum vitae suae curriculum composuit usque ad annum vitae sexagesimum perductum, quo Hispania relicta Romam petiit.

De iuvenili aetate pauca tantum indicia reliquit, e quibus discimus eum triennem in scholam quandam sororum religiosarum, quae hortulus infantium dicitur, missum et sexennem scholam elementarem ingressum esse. Die 17 novembris a. 1850 pater mortuus Eduardum cum matre tribusque sororibus orbem reliquit. Novennis mense octobri a. 1852 apud parochi vicarium linguam latinam discere coepit. Annus 1858 in vita eius memorabilis existit. Die enim 9 maii annos natus plus quattuordecim a parochio suo primum pane eucharistico refectus est, mense iunio ab eiusdem fratre Mons. Raes confirmationis sacramentum recepit, die denique 18 octobris in classem 5 seminarii Argentoratensis admissus est, ubi annis proximis optimo successu in studia incubuit. Aestivo vero tempore a. 1862, dum per ferias in domo materna moratur, rheumatismo articulari oppressus primo trimestri sequentis anni scholaris decubuit. Anno 1864, cum studiis philosophicis operam daret, exercitiis spiritualibus peractis Böhrel Congregationi SS. Redemptoris nomen dare constituit. Quae res non sine lucta facta esse videtur. Ad confessiones Eduardus usus est R. D. Mühe, qui aliam ei viam suasisse videtur. Cum enim postea narrat sibi curam iuvenum impositam esse, haec verba adiungit: « Verba R. D. Mühe ad effectum deduci coepta sunt, qui olim mihi dixerat: Tu ad iuventutem erudiendam vocaris ».

In novitiatu, quem in domo S. Nicolai a Portu egit, haud paucas difficultates expertus est, quae ipse his tantum paucis verbis perstringit: « Paenituit me esse ingressum. Imprudentia studentium, Socii duritia ». Res eo devenit, ut S. Ioseph in vigilia eius festi rogaret, ut viam sibi sterneret sine dedecore et illaesa conscientia novitiatum deserendi. S. Ioseph preces alio modo multo meliore exaudivit. Altero enim die duae Eduardi sorores advenerunt postulantes, ut necessitatis cuiusdam familiae causa domum rediret. Ast frater interea re tota in ratione conscientiae eodem die Magistro P. Fr. Lorthioit sincere manifestaverat atque ab eo confortatus et instructus ita ad pristinum consilium revertit, ut sororum preces aspernatus in vocatione confirmaretur. Ita, ut fieri solet, tentatione aperto animi candore superata die 15 octobris a. 1865 s. vota emisit. In novitiatu vero Fr. Bührel, qua erat morum gravitate atque constantia, tantopere spiritu vitae religiosae et Congregationis nostrae imbutus est, ut ad summam usque senectutem per sexaginta annos ab ipsis piis devotionibus et mortificationibus, quas in novitiatu didicerat et se servaturum esse proposuerat, ne minimum quidem deflecteret.

In studentatu, qui tum in Teterchen erat, vita eius non omnino tranquilla defluxit. Post professionem enim statim in commentariis suis addit: « Tristitia mea. Humiliationes in Teterchen ». Et anno sequenti 1866 studentatum cholera morbo ad tempus dispersum difficultatesque deinde quasdam exortas esse obscure indicat. Etiam difficultatibus familiae suae domesticis vexabatur. Sed non defuerunt consolationes: « Praefectus P. Rose me attraxit... Mater de perpetuo succursu », cuius scilicet imago tum in Teterchen allata est.

Sed iam in studentatu, cum ipse disceret, etiam docere coepit. Tunc enim iuvenatus provinciae Gallico-Helveticae initia facta sunt, et Fr. Bührel cum amicissimo suo Fr. Victorino Hauger primorum iuvenum scholas habere coepit, quam rem etiam prosecutus est, cum die 13 martii a. 1869 studiis canonicis nondum absolutis non sine nova S. Ioseph intercessione ad sacerdotium promotus esset. Laboris sane non satis tantum, sed nimium ei fuit. Ipse descripto vitae tum cotidianae instituto addit: « Ad s. missam, officium, scholas praeparandas noctes adhiberi oportuit. Vix quattuor noctis horas quieti concedere potui ». Provincialis P. Desurmont, cum hoc revivisset, rem mutare satagit. At bellum a. 1870 exortum ipsum finem fecit.

Bello exorto, cum Teterchen mox exercituum itineribus et occupationibus obnoxium esset, P. Bührel aliique Patres cum iuvenibus alias aliasque domos in Gallia petierunt, ac tandem longo ac difficili itinere per Helvetiam peracto in domum Landserianam in Alsatia pervenerunt, ubi iuvenatus constitit. P. Bührel vero finito bello mox in studentatum Teterchensem vocatus est, ubi clericos, qui studia humaniora adhuc non perfecerant, erudiret. Sed temporum iniquitate instante superiores studenta-

tui sedem firmam diu invenire non potuerunt, cum e collegio Teterchensi adversis Germaniae legibus migrare cogeretur. Itaque P. Bührel cum iuvenibus nostris e Teterchen in S. Nicolaum a Portu, inde in Houdemont ac tandem in Avon profectus est, ubi denique tres annos consistere potuit ab a. 1876 ad 1879, dogmaticam primum, deinde theologiam moralem docens et ad tempus sive socii sive praefecti studentium infirmae valetudinis causa absentis munere fungens. Inde etiam ad missiones aliquas exiit.

Interea mense februario a. 1875 nuntius ei allatus erat matrem gravi morbo laborare et morti proximam esse. Ast quamquam Rector filio facultatem fecerat statim ad eam proficiscendi, filius existimans Deo id magis placitum esse renuntiavit. Quare a Deo sibi id solatii oblatum esse dicit, quod mater eodem tempore mortua sit, quo filius s. sacrificium pro ea obtulerit.

Illo tempore id agebatur, ut Congregatio nostra post multa rerum discrimina in solo Hispaniae pedem figeret, quae res provinciae Gallico-Helveticae tamquam vicinae commissa est. Inter illos Patres, qui anno 1879 novae vice-provinciae in Hispania erectae adscribebantur, P. Bührel fuit. Qui aegre quidem, sed obedientiae spiritu ductus in Hispaniam profectus est et die 25 iunii in Espino advenit, quod tum monasterium quoddam vetus derelictum rebusque omnibus ad vitam necessariis carens erat. P. Bührel primum omnium, ut par erat, linguae hispanicae addiscendae operam dedit, et quamquam libris fere caruit, tamen sollertia sua tantum profecit, ut paucis mensibus pro populo dicendi facultatem adipisceretur. E domo Espinensi die 27 augusti eiusdem anni in Villarejensem et initio a. 1881 in collegium Navae Regis migravit, unde post Pascha a. 1884 Espinum rediit. Eo tempore in opere missionum, quod in Hispania paulatim effloruit, haud parum laboravit. Iam a. 1879 in una missione auxilia praestitit, a. 1880 in 2, a. 1881 in 5, a. 1882 in 8 missionibus et 2 renovationibus, a. 1883 in 12 missionibus et 10 renovationibus, a. 1884 in 22 missionibus, ac denique a. 1885 in 14 missionibus laboravit. Praeterea in commentariis suis 8 cursus exercitiorum spiritualium illis annis habitos notavit. Autumno vero a. 1885 in morbum incidit non levem, a quo vix recreatus mense decembri a superioribus statim novos labores petiit. Sed campus ei assignatus est alius.

A. 1885 Asturicae Augustae in studentatu vice-provinciae Hispanicae paulo ante constituto Praefectum studentium mutari necesse fuit. Mense itaque decembri P. Bührel ad hoc munus vocatus est, quod deinde annos quindecim retinuit semper enitens, ut florentem in Hispania Congregationis spem non solummodo solida scientia, sed prae ceteris spiritu vere Alphonsiano imbueret. Non tantum conferentiis dominicalibus et exercitiis spiritualibus, quae quinquies et decies ad clericos habuit, sed omni sua agendi ratione iuvenes vere Redemptoristas educare studuit. Saepis-

sime dicere solitus est maxime periculosas esse illas, quas dimidias aiebat, vocationes, illorum scilicet, qui perfectionis semitas impigre ingredi detrectarent. Quare nihil intentatum reliquit, quo strenuorum in vita spiritali progressus adiuveret, tepidos et in vocatione vacillantes ad bonam frugem reduceret. Cum ipse regulas constitutionesque maximi faceret et accuratissime observaret, idem a studentibus suis postulavit. At qui rigidus fere esse videbatur, curam vere maternam in eos impendit, qui ea indigebant, praesertim in infirmos. Quo in genere ut unum tantum exemplum afferamus, cum clericus quidam diuturno tumore fistulico laboraret, qui putredinis plenus erat, Praefectus labiis admotis ulcus sugebat nec a clerico retineri passus est, ita rem optime curari posse affirmans.

Praeter curas laboresque spirituales eodem ardore in solida studia curam impendit. Qua in re ipse primis duobus annis theologiam dogmaticam et historiam ecclesiasticam docuit, postea vero, cum studentatus compleretur, theologiam moralem et pastorem in se suscepit, ab anno vero 1893 ius canonicum. Ita vix intellegi potest, quomodo subinde alios quoque lectores, cum deessent, supplere potuerit, ut a. 1890, quo eum rhetoricam et philosophiam docuisse comperimus. Simul sollicitè vigilavit, ut etiam alii lectores rem suam bene gererent et studentibus nostris solidam secundum S. Alphonsi principia doctrinam traderent.

Quo tempore P. Bührel creatus est praefectus studentium, paucos tantum humanistas et philosophos Asturicae invenit, ita ut et numero studentium crescente et studiis ampliatis ipse studentatus Hispanici institutor dici possit.

Cum vice-provincia in Hispania creverit et a. 1900 in provinciam evecta sit, facile intellegitur eam paulatim etiam suae tutelae factam esse atque in munia gravia, quibus initio primi advenae praeerant, Patres Hispanos successisse. Ita etiam P. Bührel, qui plus quindecim annos studentatui praeerat, die 4 maii Consultor secretarius P. Provincialis creatus Matritum migravit. Ibi chronica provincialia a principiis Congregationis nostrae in Hispaniam vocatae, quorum ipse pars magna fuerat, conscripsit. Die 3 decembris a. 1903 autem cum P. Provinciali Romam profectus est et, quod ipse non erat opinatus, archivista generalis creatus in alma urbe mansit. « Gratias Deo ago in aeternum, quod inter vitam nimis operosam et mortem meam hoc otii spatium posuit. Benedictus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me, millies benedictus Deus! ». His verbis P. Bührel commentariis suis, quae ad suum Romam adventum perduxit, a. 1916 finem fecit.

Otium quidem Romae invenit, cum in cella sua et archivo vitam absconditam ageret, neque illa relinqueret, nisi cum a. 1912 in provinciam Hispanicam visitationis extraordinariae causa proficisci et postea occasione quadam patriam Alsatiam petere iussus esset, sed vitam otiosam non egit,

immo vero laboriosissimam. Acta enim, quae ad archivum pertinebant, dispersa erant et suo ordine carebant. Colligi itaque ea et in ordinem redigi oportuit. Quod ut perficeret, necesse fuit, ut omnia perlustraret, quod non unius, nec duorum tantum annorum opus erat. Legendo vero tantam historiae Congregationis scientiam adeptus est, ut vix quisquam alius eam melius cognitam haberet. Dolendum sane est, quod ab ea conscribenda et aetate et indole sua prohibebatur. Simul sedula ac sapienti cura chartas librosque pulcherrimo ordine disposuit, indicem magnum et accuratum confecit, ita ut, quisquis in archivo nostro rem aliquam quaesierit, eius diligentiam inventurus eiusque diligentiae gratias acturus sit. Deinde vero severis Argi, ut ita dicam, centum oculis vigilavit, ne quid e thesauris ipsi creditis deperiret, vel ordo archivi turbaretur.

Plus sexaginta annos natus Romam venit et plus viginti annos Romae vixit. Nec facile fuisse censendum est omnem vitae laborisque rationem illa aetate mutare. Attamen, qualis toto vitae tempore erat, talem etiam ultimis annis eum noveramus, hominem fortem ac rectum, numquam sui amantem, Congregationis ac vocationis suae amantissimum, in oratione maxime assiduum.

Ad actus communes numquam deesse, immo vix umquam sero venire visus est. Cum die Nativitatis Domini festo s. morientium sacramenta recepisset, altero mane iterum ad meditationem matutinam in oratorio comparuit sibi nihil aliud praeceptum esse confirmans. Exceptiones tanto horrore prosequabatur, ut superiores nullam ei imponere auderent. Octogesimo etiam vitae anno ad mensam legere et cubiculum suum ipse everrere voluit. Cumque ob difficultates eius quasdam corporales superior eum ab actu disciplinae eximere vellet, rogavit, ne hoc sibi faceret: « Secus enim » inquit, « nullam inveniam requiem. Videbor mihi Dominum noctis silentio audire clamantem: Eia, ignave, non potuisti istud pro me perferre? » Mortificationis erat studiosissimus. In mortui cubiculo parvam crucem clavibus ferreis munitam invenimus, quam de collo appensam ad pectus admoveere solitus est. Ne vero cruentationis eius vestigia in ea apparerent, aqua diligentissime erat depurgata.

Res erat vere aedificationis plena, cum eum quotidie, et saepissime iam mane ante meditationem, in oratorio viam crucis piissime peragentem videres. Die 2 novembris anni proxime ante mortem elapsi, cum magnis infirmitatibus premeretur, vultu laetissimo narravit se omnes tres missas dicere potuisse. Et quanta fuerit humilitate, ex eo videre licet, quod paulo ante mortem ob delictum, ut putavit, quoddam cogitatione magis interna factum quam re vera manifestatum se metu angere questus est, ne e Congregatione dimitteretur, senex annorum octoginta.

P. Böhrel indole naturali erat aspera et salebrosa, ita ut audires quendam dicentem eum vix quemquam amicum in vita habuisse familiarem. Et ve-

rum est ex hac indole non paucas difficultates ei obvenisse. Cumque ultimis praesertim annis corporis infirmitatibus et aurium imprimis tarditate affligeretur, facile intellegitur frontem ac speciem eius externam haud blandam fuisse. At in putamine aspero fructus mollis abscondebatur, neque quemquam sciens ac volens P. Böhrel iniuria affecisse credendus est. Et si indole sua firma asperis aliquando verbis usus, vel etiam alteri molestiam creare visus est, id inde erat, quod rem iustam se defendere debere putavit, nec re vera de alterius molestia cogitavit. Cor vero amoris fraterni plenum invenit, quisquis eius familiaritate usus est. Ita fieri potuit, ut quidam, cum rogaretur, quem e familia domus hominem sanctum crederet, ceteris lustratis in P. Böhrel oculos figeret.

Sub vitae finem senex viribus se destitui sensit, sed firma sua voluntate succumbere noluit, quamquam saepe doloribus oppressus apparuit. Cum ob ramicem inguina implentem in vitae periculum venisset, sectione chirurgica sibi proposita rem omnino obedientiae commisit solaque obedientia medici cultellum expertus est, cum etiam corpus religiosi non suum, sed Congregationis esse affirmaret. Eadem obedientia in extremo morbo uti voluit in rebus etiam minimis, et si quid umquam conquestus est, id erat, quod praefectus infirmorum sibi parum accurate praescriberet, quomodo se gerere deberet. Ita ad extremum halitum sui similis novo anno vix incepto mane diei primae ianuarii a. 1924, vitam terrestrem finivit, ut sine dubio coronam servi fidelis acciperet, quam S. P. N. Alphonsus filiis suis genuinis in caelo paratam fore praedixit. R. i. p.!